

ati schismatis reatum, inconsideratum Zelum, inordinatas disputationes, malignas artes, & qvicqvid denique atra bilis suggerit, exprobatur. His enim velut initiis & lenociniis verborum tam pulchrum rei auspicium facere voluit: *Qui causas schismatis inter Ecclesias Protestantates suscepti & continuati veras contemplabitur, videbit illud initio ab inconsiderato Zelo & inordinatis disputationibus exortum esse, & jam ad hunc usque diem continuari malignis qvorundam artibus, qvæ probrosis scriptis & tribunitijs concionibus foventur, ut publica odia & factionum studia vulgi animis sub pretextu Religionis insinuentur.* Nobis, inquam, probrofa scripta, tribunitias conciones, inconsideratum Zelum & malignas artes improperat, qvibus schisma in hunc usque diem fovere & continuare malimus. Qvos enim alios hic perstringat, nescio: certe se & socios suos tanti criminis reos coram Deo & Angelis ipsius totoq; adeò mundo non pronunciabit. Qvicunqve ergò placita ejus, qvam falsa etiam, putida & inepta fuerint, non exoscularunt, is reum se constituit schismatis suscepti & in hunc usque diem continuati. Qvod qvidem qvo loco habendum sit, facile liquet. Certè indignus est, cui disputatione committatur, præsertim in rebus Theologicis, cui pro argumento ad manum convitium est, neqve refutasse se adversarium opinatur, nisi insigniter ei maledixerit.

xcvi. Qviciaqve autem ille sit, qvi vel faces primùm admoverit certamini, vel fomenta adhuc suppeditet, satis fuerit, ipsum caussæ momentum ingredi, & qvid de Dn. Duræi conatibus, & recens excoigitatis commentis statuendum sit, explicare, & videre adeò, an desiderio tūm meo, tūm aliorum satisficerit, & evidenter satis ostenderit, utrosqve, Lutheranos nempe & Calvinianos, idem fidei fundam̄tam tenere. Tria verò sibi perpendenda esse in illa Disquisitione suâ præfatur: Primum, quid per Fundamentalia dogmata, de qvibus inquiritur, sit intelligendum? II. Qvænam sint illa fundamentalia, id est, ubi illa certò inveniri, & quomodo inter Protestantates certis propositionibus exprimi & enumerari queant? III. Quare consensus in fundamentis inter Protestantates liquidissimus concordiam buc usque non potuerit procurari inter illorum Ecclesias? De qvibus ille deinceps pluribus agit, nos verò ordine eum sequemur & simul illud quoqve, an & in quibus doctrinæ fidei partibus consensus ac dissensus sit, addemus.

SECTIO